



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLVII. Argumentum. Disputatur celebris Quæstio; An Usurarius acquirat dominium rei per usuram acceptæ? Rationes tùm pro assirmativa: tùm pro negativa, quæ amplectitur; etsi sub fœdere ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

quem duo sunt notanda. Unum, quod nullus, etiam medicinali arte pollens, solet, mederi sibi ipsi. Alterum, quod mutatio medicorum ægro nocet, salubris autem est unius, ac ejusdem Medici assistentia, quod cecinit etiam Poeta dicens:

*Me centum tetigere manus Aquilone gelatas
Non habui febrim Symmache, nunc habeo.*

9 Igitur opus est, ut quilibet Ecclesiasticus statuatur sibi ordinarium Confessarium, quem tantquam Medicum habeat, ut ab eo medicinales monitiones excipiat in suis spiritualibus infirmitatibus, neque ab eo recedat, credens sibi ipsi medendum; nam sicut Deus noluit, aliquem posse seipsum absolvere à peccatis, sive Episcopum, sive Papam; sed ut alteri se subiciat Sacerdoti, ordinavit; ita, ad remedia efficacia obtinenda, voluit, ut spiritualiter ægri ab alio ea peterent; exemplo Naamani Syri leprosi, quem non mundarunt aquæ Damasci, sed aquæ Jordanis, ut habetur. 4. Reg. 5. 10. quia jussu Elisæi Prophætæ ad illas accessit, ut notat Rodriquez dict. part. 3. tract. 7. cap. 4. in fin. Ratio autem hujus necessitatis est aperta, quia proprius amor impedit, ne quis sui ipsius infirmitatem agnoscat, teste D. Basilio de Constitution. Monac. capitul. 23. & eò minus eligere valeat antidota, & pharmaca convenientia ad mortificandas inordinatas passionem. Hinc factum est, ut à Redemptore Nostro mortificatio Crux fuerit appellata; nam sicut nemo aptus est seipsum

10 Cruci affigere, sed altero est opus, à quo crucifigatur, ut perbellè considerat P. Ludov. de Ponte dict. Guida spirituale part. 2. tractat. 4. cap. 2. §. 3. num. 2. ita nullus mortificationes sibi ipsi valet præscribere; sed prudentia, consilio, ac directione mystici Medici, nempe Confessarii sui, uti debet.

11 Patre tandem benigno, qui illum consoletur, eget quisque Ecclesiasticus; nam, ut ait dict. P. Ludov. de Ponte dict. cap. 2. §. 1. num. 3. La strada della Virtù è aspra, e lunga; & assai contraria all' inclinazione, e gusto della nostra carne; onde nasce, che chi nuovamente la comincia, patisce gran tristezze, & afflizioni gravi tedii, e timori, e s' egli non ha compagnia, che le consoli, rallegri, & inanimi nel cammino, segli suole fare intollerabile. Hor grandemente importa non voler pigliare solo sgram fatica; ma eleggersi un buon amico, per compartirla seco, e con la cui comunicazione si renda facile, e tollerabile poichè come dice S. Ambrosio lib. 2. de Offic. cap. 16. gran consolazione di questa vita è avere qualche fedele amico, a cui possi scoprire l' animo tuo, con cui comunichi i tuoi segreti, & in cui depositi l' intrinseco del tuo cuore; il quale ami, & in ogni cosa seguiti; il quale con viscere di padre compartisca le tue avversità, e nelle persecuzioni t' ajuti, e si rallegri teo nelle tue prosperità; felice tal compagnia, e tal amicitia; poichè non è cosa nel mondo più dolce di quella. Idem prosequitur S. Ambros. dict. lib. 2. de Offic. cap. 20. S. Bernard. lib. de Ord. Vitæ, S. Thom. 1. 2. quæst. 38. art. 2. S. Franciscus Salesius in Introduct. ad Vir. devot. part. 1. capit. 4. S. Theresia Rodriquez d. p. 3. tract. 7. cap. 2. & Marcantius in Hort. Pastor. Virg. Aaron. tract. 5. cap. 1. num. 7. Quos authores si Parochi, alique Ecclesiastici legere non detrectaverint, optimum, ac saluberrimum esse cognoverint, Confessarium pium, & prudentem sibi deligere; eique non solum conscientiarum

maculas, sed etiam quoscumque affectus, & propensiones humiliter aperire; ejusque monita servare.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Disputatur celebris Quæstio; An Usurarius acquirat dominium rei per usuram acceptæ? Rationes tum pro affirmativa; tum pro negativa, quæ amplectitur; etiam sub fœdere distinctionis utraque conciliatur. Motiva tum Parochis, tum Concionatoribus invendi contra Usuras, ac illicitos contractus.

SUMMARIUM.

1. Usurarius an dominus fiat rei per usuram acceptæ?
 2. Traditione rei acquiritur dominium.
 3. Voluntas solventis Usuras an sit libera?
 4. Matrimonium habentis simplex votum castitatis valet.
 5. Res uni promissa, & alteri tradita sit hujus, cui traditur.
 6. Usurarii valide emunt alienas res cum pecunia usuraria.
 7. Eleemosyna facta ab Usurario valet.
 8. Donare censetur rem non debitam tradens.
 9. Restitutio facienda ab Usurariis etiam re perente.
 10. Lucrum ex negotiatione cum pecunia Usuraria sit ejusdem negotiantis.
 11. Traditio rei sine justo titulo non transfert dominium.
 12. Fructus rei usuraria spectant ad mutuatarium.
 13. Mutuatarius præfertur aliis creditoribus in re tradita Usurario.
 14. Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur.
 15. Consensus defectus causat nullitatem actus.
 16. Pharmaceutum nullum legale contra defectum consensus.
 17. Mutuatarius non præsumitur consentire in usuram.
 18. Argumentum de parte ad totum valet.
 19. Res per usuram accepta est omnino restituenda.
 20. Usurarius est fur, & latro.
 21. Simoniacus non acquirit dominium rei per Simoniam acceptæ.
 22. Res per Usuram accepta quando transeat in dominium Usurarii?
 23. Rei per Usuram soluta dominium remanet apud mutuatarium.
 24. Restitutio imponenda etiam iis, qui rem ab usurario acquisiverunt.
 25. Usura, ac contractus illiciti quos motivis redarguendi?
 26. Usurarium infamis, ac odiosa conditio.
- Sudant tam Theologi, quam Jurisperiti in decidendo.

AN Usurarius acquirat Dominium rei per Usuram acceptæ? Alii affirmarunt, alii negarunt, alii distinxerunt.

Affirmantes adduxere sequentes rationes. Primò. Traditio rei, ab ejus domino facta cum voluntate transferendi dominium, ipsius translationem operatur. §. Per traditionem. 40. Instir. de rer. divis. ubi Imperator ait; Nihil enim tam

tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntate domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Sed mutuarius quod tradit ultra sortem mutuanti; ea voluntate tradit; ut transeat in ejus dominium. Ergo Usurarius rei per Usuram acceptæ dominium acquirit.

3 Secundo. Si hoc non esset verum, ex eo diceretur procedere, quod mutuarius non voluntate liberat, sed coacta traderet. Sed consequens est falsum; quia ex Arist. 3. Ethic. 2. voluntas illa est simpliciter voluntaria, prout illius, qui tempestate coactus merces suas projicit in mare. l. Si mulier. in fin. ff. Quod mer. caus. cap. Merito. 15. quæst. 1. vel aliquid dat alicui, metu cadente in constantem virum, cap. Abbas. De his, quæ vi, metusvè caus. fiunt. Card. de Lugo de Justit. & Jur. disp. 22. de contract. in genere sect. 7. & disput. 25. num. 206. Ergo.

4 Tercio. Si quid esset, quod translationem domini in Usurarium impediret, oriretur ex re prohibita, & acceptione injusta. Sed hoc non sufficit, nam etiam qui votum habet castitatis, injustè uxorem accipit, & tamen matrimonium valet cap. Rursus. 6. Qui Clerici, vel Voven. Et qui rem uni promittit, etiam cum juramento, & eam tradit alteri; inistum transfert dominium. Covarr. de Spons. part. 1. cap. 5. num. 9. Salas de Empt. & Vendit. dub. 46. num. 3. & facit text. in l. Quoties C. de Rei vendit. & l. Traditionibus C. de Pactis. Ergo.

6 Quarto. Si Usurarius non compararet dominium pecuniæ per Usuram acquisitæ, irriti essent omnes contractus, quos cum eadem pecunia celebraret; atque adeo qui usurario panem, vinum, vel domum venderet pro pecunia usurariæ ab eo habita, teneretur illam mutuatorio restituere. Consequens est absurdum, quia confusio esset nimia in regimine politico. Ergo.

7 Quinto. Dominium est jus utendi re pro libito suo. Sed Usurarius potest elemosynas facere de pecunia per Usuram accepta, ut docet Gloss. in cap. Ex transmissa de Decim. Alafiodor. libr. 3. tit. 8. quæst. 5. Ergo dominium ejus acquisivit.

8 Sexto. Qui rem non debitam scienter tradit, donare censetur. l. Cujus per errorem. ff. de Reg. Jur. lib. 1. ff. de Contract. indeb. & l. Qui se debere C. de Cond. ob caus. Sed mutuarius, qui scit, usuram non debere, eas solvendo, videtur donare. Gloss. in cap. Debitores. 6. de Jurejur. Ergo.

9 Septimo. Si Usurarius non acquisivisset dominium rei ultra sortem sibi solutæ, sequeretur, ut ea pereunte absque sua culpa non esses obnoxius restitutioni, siquidem res perit domino, & sic periret mutuatorio. Sed consequens est falsum; nam etiam in supposito casu Usurarius tenetur restituere tantumdem. Ergo factus erat dominus illius rei.

10 Octavo. Si Usurarius lucretur cum scnebris pecunia, non est obligatus ex communi Doctorum calculo illud lucrum restituere, Martius in Theolog. Moral. disp. 5. quæst. 2. art. 5. num. 85. & Leotard. de Usur. quæst. 82. num. 40. Sed hoc esse non potest, nisi ex eo, quod fit dominus pecuniæ scnebris jam res, quæ fructificat, domino suo fructificat. Ergo dicendum venit, quod dominium acquirit. Hanc opinionem docet Glossa. in cap. Si quis Usuram. 14.

quæst. 4. Summistæ in Verb. Usura infra notari, videlicet Tabien. 6. in princip. Armill. numer. 59. Pisan. 1. §. 14. Rosell. 4. §. 14. Item S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 8. §. fin. Navar. in Manual. cap. 17. numer. 265. & plures alii, quos allegat Salas de Usur. dub. 38. num. 1. Et novissimè Mastrius in Theolog. Moral. dict. disput. 5. numer. 8. quibus adstipulatur Eminentis. Cardinal de Lugo de Justit. & Jur. tom. 2. dict. disp. 25. num. 206.

His tamen non obstantibus alii plurimi ex Clero nostro negarunt, ab Usurario rei per Usuram acceptæ dominium acquiri ob sequentes rationes.

Primò. Ad transferendum dominium non sufficit nuda traditio, vel privata voluntas tradentis; sed requiritur justus titulus, & publica voluntas Superioris traditionem illam approbantis. l. Numquam. ff. de Acquir. rer. dom. l. Nullo. 24. Cod. de Rei Vendit. l. Traditionibus. C. de Pactis. Menoch. dict. consil. 300. num. 1. & 2. ac numer. 10. Et novissimè Mastrius d. disp. 5. num. 81. ubi ex Scoto hanc dicit esse rationem fundamentalem. At in traditione mutuarii deficit justus titulus, quinimò est iniquus, nempe fœneratitiûs; & publica Superiorum resistit voluntas, tum Dei Optimi Maximi, cujus jure Divino prohibita est Usura, ut supra probatum est Decis. XXV. tum Ecclesiasticorum, ac Temporalium Procerum, quorum pariter legibus fœnora damnantur. Rebell. d. lib. 8. quæst. 14. num. 2. & 3. Ugolin. de Usur. cap. 12. num. 1. Tamburin. de Triplici Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. numer. 9. & 10. Ergo Usurarius rei sibi per Usuram solutæ non acquirit dominium.

Secundò. Fructus rei spectant ad illum, qui ejusdem rei dominium habet, l. Fructus 34. ff. 12 d. Rei vendic. l. Item ff. de acquir. rer. dom. & l. Si dominium de Pignori. Sed fructus rei per Usuram acceptæ ab Usurario spectant ad Mutuatarium, cui per eundem fœneratorem sunt restituendi. cap. 1. de Usur. S. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 3. Sylvest. Verb. Usur. 6. num. 2. Jo. Calder. in cap. Naviganti. quæst. 9. de Usur. Salas de Usur. d. dub. 38. num. 5. Vers. Secundo. Rebell. d. lib. 8. quæst. 14. numer. 4. & Menoch. alios allegans dict. Consil. 300. num. 4. Ergo Usurarius non acquirit dominium rei fœnebris.

Tercio. Si mutuarius non retinisset in se dominium rei, Usurario per Usuram traditæ, non haberet prælationem contra quoscunque alios creditores ejusdem Usurarii in illius rei consequutione; ea ratione, quia intraret inter eos regula: Prior in tempore, potior in jure. Ugolin. de Usur. d. cap. 12. numer. 3. Sed sic est, quod præfertur Mutuatarius quibuscunque creditoribus in repetenda re scnebris, per eum Usurario tradita. Sotus de Just. & Jur. lib. 6. quæst. 1. art. 4. colum. 6. Sylvest. DD. allegans Verb. Restitutio. 6. num. 5. ubi text. in l. Si Ventri. 8. §. In bonis ff. de Privil. creditor. Molin. de contractib. disp. 536. num. 30. & ibi l. Procuratoris. §. Plane ff. de Tribut. act. l. 1. Cum fundus. §. servum ff. Si cert. per. Ergo dominium non fuit in Usurarium translatum.

Quarto. Actus agentium ultra eorum intentionem, & voluntatem non operantur; nam ubi non est intentio operandi, non est volun-

tas, & ubi non est voluntas non potest esse consensus, & deficiente consensu nihil agitur. l. 1. ff. 1. in fin. ff. de Pactis. l. Obligamur. ff. de act. & obligat. Consensus enim est illud ens transcendente; quod in omnibus dispositionibus humanis est omnino necessarium; & actus gestus sine consensu est tanquam cymbalum tinniens, dans sine mente sonum; ut eruditè demonstrat Paul. Rubeus in annotat. ad Rotam Roman. part. 8. dec. 1. numer. 1. & seqq. ubi numer. 8. subdit, quod ex antris cavernosis nulliatum, non erumpit rabiosior ventus Australis, quam iste nullitatis consensus, aptus ac valens ad omnia radicibus subvertenda, ac prosternenda: & in Annot. ad decis. 254. part. 9. recent. num. 48. & 49. addit, defectum intentionis esse venenum inficiens omne compositum, adeo ut ficuti.

Contra vim mortis non est medicamen
in hortis:

Ita contra vim defectus consensus, & intentionis non reperitur aliquod pharmacum legale; quod docuit etiam Cardin. Paris. conf. 54. num. 41. & seqq. lib. 1. & conf. 86. numer. 40. lib. 3. & Rota decis. 741. num. 3. in fin. part. 3. recent. & part. 12. decis. 296. num. 32. Porro mutuatariorum, qui solvit usuram feneratori, eatenus illas solvit, quatenus credit, eas esse de Jure debitas, & ad illas solvendas ex Justitia teneri; itaut si sciret, nullam extare obligationem, nullam quoque haberet intentionem, seu voluntatem eas solvendi. Igitur solutio usurarum quæ non est de Jure debita (imò est de Jure prohibita) tanquam sine consensu, & voluntate solventis facta, effectum nullum operatur, & nihil valet ad transferendum dominium. Bonacina d. tom. 2. de contract. disput. 3. quæst. 3. punct. 14. num. 1. vers. Secundo.

Quinto. Valet argumentum de parte ad totum. l. Quæ de tota, in princ. ubi Gloss. & Bart. ff. de Rei Vindic. nam ejusdem Juris censetur esse pars, & totum. Menoch. consil. 854. num. 10. Rota dec. 174. numer. 5. part. 1. recent. & coram Eminentiſſ. Cardinali Cerro decis. 147. numer. 7. Sed per solutionem rei usurariæ non transfertur in Usurarium Jus ad rem ipsam, quod est quædam pars domini. Molin. de contract. d. disp. 326. numer. 5. Vers. Tertio non minus. nullus enim inficiari potest; mutuatariorum retinere Jus ad rem illam petendam. Ergo multo minus transfertur Jus in re, idest totum dominium ejusdem rei.

Sexto. Si Usurarius acquireret dominium rei ob usuram sibi traditæ, non teneretur restituere eandem omnino rem, sed valorem illius. Molin. dict. disput. 326. numer. 5. Vers. Adde. At consequens est falsum, quia rem ipsam teneretur restituere. Molin. ibidem. Salas de Usur. d. dub. 38. sub. num. 5. Vers. Tertio. Ugolin. d. tract. cap. 12. §. 1. num. 4. & Tambur. de Tripl. Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. num. 6. Ergo.

Septimo. Usurarius in Jure vocatur fur, & raptor. cap. Si quis usuram. 14. quæst. 4. Sed per furtum, & rapinam dominium non acquiritur furanti, vel raptori. cap. Quid dicam. 14. quæst. 4. l. ult. ff. Usufructuar. quemadmodum caveat. Molin. disput. 327. numer. 8. Ergo neque Usurario, Rebell. d. lib. 8. quæst. 14. numer. 4. & Salas de Usur. d. dub. 38. numer. 5. Vers. Decimo. Leotard. eodem tract. quæst. 95. numer. 4. & Scaccia de Comert. §. 1. quæst. 7. part. 2. ampl. 19. num. 64.

Octavo. Valet argumentum à simili. cap. In 21 causis. De re jud. l. Non possunt. ff. de legibus. Sed si quid detur Simoniaci, ut spiritualia conferat, non transfertur dominium.

cap. Veniens. De Simon. & Extravag. cap. De hoc de Usur. d. dub. 38. numer. 5. Vers. Septimo. Sanchez Conf. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 112. 113. & 114. Ergo.

His, & aliis argumentis amplexati sunt hanc opinionem Molina d. disput. 326. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 7. Petr. Navarr. de Restit. lib. 3. cap. 2. numer. 388. Angel. & cum eo Ungarell. Verb. Usura 2. numer. 18. Sylvest. Usura 6. quæst. 1. alique plurimi, quos cumulat, & sequitur Salas de Usur. d. dub. 38. numer. 3. Rebell. d. lib. 8. quæst. 14. Et novissimè Mastrius in Theolog. Moral. d. disp. 5. num. 81. Leotard. d. quæst. 95. num. 4. Ugolin. de usur. dict. cap. 12. Menoch. d. conf. 300. & Scaccia de Comert. §. 1. quæst. 1. num. 537. & quæst. 7. ampl. 19. num. 69.

Alii tandem neque primæ, neque secundæ opinionis adherentes tertiam elegerunt, quæ ita distinguit. Vel usura soluta est in rebus functionem habentibus, & consumptibilibus, veluti pecunia, frumento, oleo,urgo, & similibus & tunc si Usurarius illas commiscuit cum aliis suis consimilibus rebus, ita ut nequeant amplius discerni, acquisivit earum dominium; cum obligatione tamen restituendi earundem valorem. Vel discerni adhuc possunt, & nondum fuerunt immixtæ; & in hoc casu dominium non acquisivit, & multo minus si res sint, quæ functionem non admittunt, neque consumi de facili possunt, puta vestis, equus, prædium. Ita per text. in §. Si duorum. 27. & §. Quod si frumentum. 28. Instit. de Rer. divis. & l. Si alieni. 78. ff. de Solut. docet Tamburin. de Tripl. Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. num. 7. Molin. dict. disput. 326. numer. 6. Lessius dict. lib. 2. cap. 20. num. 156. & Azor. d. part. 3. lib. 5. cap. 11.

Prima, & Tertia ex his opinionibus probabiles sunt; sed probabilior est secunda, quæ Curia nostræ magis arridet: si quidem de Jure five res ob Usuram soluta sit commixta cum rebus ipsius feneratoris, five non; semper remanet in dominio mutuatariorum solventis, donec extet, & non sit consumpta; ea ratione, quia per immixtionem rei meæ cum re alterius, etiam me infcio, vel invito factam, ego non perdo dominium ejusdem rei meæ; ut docet Imperator Justin. in d. §. 27. & 28. De Rer. divis. Neque obstat text. in dict. l. Si alieni 78. ff. de Solut. ubi dominium dicitur acquisitum ab eo, qui nummos alienos sibi solutos accepit, & immiscuit cum suis; si quidem illa domini acquisitione non processit ex sola immixtione pecuniæ solutæ; sed ex bona fide, & iusto titulo, quo fuit recepta solutio, ut eruditè declarant Julius Pacius, & Anton. Pichard. ad d. §. 28. Instit. de Rer. divis.

Et hinc est, quod plures Theologi, et si non attigerint hanc legalem responsionem ad d. l. Si alieni; nihilominus dicunt, mutuatariorum retinere jus in re, & pecunia permixta; ad effectum ut ex illo pecuniarum cumulo Lessius d. satisfaciendum ante alios creditores. Lessius d.

cap. 20. numer. 157. Azor. dict. cap. 11. in fin. Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 19. dub. 17. num. 2. quod absque ulla hæsitacione scripserunt etiam Jurisperiti Leotardus de Usur. d. quæst. 95. num. 5. Ugolin. d. cap. 12. §. 1. num. 4. & Menoch. d. conf. 300. num. 31.

Resolutio argumentorum primæ opinionis, brevitatis causa, omittitur, quæ à volentibus legi poterit apud Molin. d. disput. 326. apud Salas dict. dub. 38. & apud Menoch. dict. conf. 300. Similiter responsiones ad agumenta secundæ opinionis extant apud Card. de Lugo dict. disput. 25. à num. 206. & seqq.

24. Cæterum ex huc usque dictis, notare animarum Rectores debent, quantum sit eis vigilandum in audiendis confessionibus tum fœneratorum, tum eorum, qui à fœneratoribus bona recipiunt; si vè oneroso titulo, si vè lucrativo, siquidem hi omnes tenentur ad restitutionem rei usurariæ. Leotard. de Usur. dict. quæst. 95. num. 32. & 35. & non solum ipsius rei, sed etiam fructus ejusdem; etiam si fuerint bonæ fidei possessores in illa summa, in qua facti sunt locupletiores; ut plenè demonstrat DD. de hac re agentes, & præcipuè Ugolin. de Usuris d. cap. 12. per totum, & Clerus nos. in Decis. 48. prox. seq. Et ex hac etiam annotatione desumere poterunt DD. Parochi argumenta ad oburgandos in suis concionibus contractus illicitos, usurarios, & fœneratios, ex quibus præter lethalem culpam tantis obligationibus afficiuntur omnes, qui res usurarias attingunt: adeo ut non absque causa majores nostri scripserint, Usurarios omnibus esse odio, & apud cunctas nationes habitos viles, abjectos, & vituperabiles, ut universa eorum bona dicerentur bona diaboli, & abhorreret quilibet aspiciendo eorum domum vel agrum; nemo de eorum domo ignem sumeret, nemo ab eis in Ecclesia osculum pacis acciperet, & de occursum eorum pueri expaverent; Unde non mirum, si ut plurimum Usurarii velut animalia bruta moriuntur, imò quandoque terribili Dei judicio à dæmonibus rapiuntur; teste D. Antonin. in tract. de Usur. in princip. num. 30. & seqq. Peguera decis. 31. num. 19. Marian. Socin. in rubr. de Usur. num. 28. & novissimè Illustriss. Episcop. Sperellus decisio. 116. numer. 27. & 28.

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

Quia ex re per Usuram acquisita sæpè nascuntur fructus; idè disputatur an eorundem Usurarius Dominus fiat.

SUMMARIUM.

1. Fructuum quintuplex divisio. Et quæ?
2. Fructuum naturalium rei Usuraria Usurarius non fit dominus.
3. Fructus, & fructuum fructus ab Usurario restituendi.
4. Expensa in fructibus colligendis retinentur ab Usurario.
5. Triticum ex usura seminato Messis est seminantis.
6. Fructus Civiles Rei Usuraria non sunt Usurarii.
7. Fructus Industriales è re Usuraria cujus sint?
8. Fructus non percepti ob negligentiam è re Usuraria restituendi.

9. Fructus, quos mutuatarius non percepisset, an restitueret?

10. Radix qualis, rami tales.

11. Commodum ex sua iniquitate nemo debet reportare.

12. Res empta sequitur naturam pecunie, qua emitur.

13. Possessiones Usuriorum vendenda pro restitutione Usurarii.

14. Res empta cum aliena pecunia est emptoris.

15. Res sterilis eam laboranti fructificat.

16. Usurario veniunt fructus rei empta cum pecunia Usuraria, sed restituere debet ipsam pecuniam cum damno emergente, ac lucro cessante.

Quæritur itaque, An Usurarius acquirat Dominium fructuum ejusdem rei Usuraria?

Restringendo, quæ sparsim pro resolutione hujus Quæstionis scripta fuere per Clerum nostrum; cum in quintuplici differentia sint fructus, de quibus quæritur, videlicet, Naturales, Civiles, Industriales, Neglecti ab ipso Fœneratore, & Neglecti à Mutuatario; idè notandæ sunt quinque conclusiones.

Prima conclusio. Fructuum naturalium (illorum scilicet, qui à natura proveniunt, ut planta, poma, glandes, nuces, herba, fœnum, partus animalium, & similia. leg. Fructus 45. ff. de Usuris. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 23. à num. 48.) è re Usuraria collectorum Usurarius non acquirit dominium; sed sunt mutuatarii, à quo rem illos producentem accepit; & idè eidem mutuatario debet eos restituere. S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 3. Molin. disput. 327. num. 4. Salas de Usur. dict. dub. 39. num. 2. Jo. Baptista Lupus cod. tract. Comment 4. §. 3. num. 57. & Leotard. dict. quæst. 95. num. 12. ubi plures text. allegat, & num. 13. subdit, non solum fructus, sed etiam fructuum fructus esse à fœneratore restituendos; puta, si fortè pecora, vel vaccas, aut animalia, quæ pariunt, & faciunt fructus per fœnus extorserit; exemplo ejus, qui alienam hæreditatem invasit, & possidet, quem partus partuum restituere debere constat ex l. Quod si oves 29. ff. de Petir. hered. & ex l. Illud 43. §. Prado. cod. tit. quod docent etiam Garz. de expens. cap. 23. num. 47. & Munoz de Ratiocin. cap. 18. num. 3. Cum enim primi partus sint mutuatarii, consequens est, ut ejus etiam sint partus, & fœtus alii ex primis provenientes.

Cæterum hic tria notanda sunt. 1. Quod Usurarius potest sibi retinere sumptus, quos fecit in his fructibus colligendis; hoc enim etiam furi, & prædoni conceditur ob naturalem æquitatem l. Fundus, § 2. ff. Famil. herciscunda. leg. Fructus 7. ff. Solut. marim. d. l. Si à patre. 39. in fine ff. de Petir. hered. Beroius in cap. Naviganti. num. 76. de Usur. Salas dict. dub. 39. num. 2. Rebilius dict. lib. 8. quæst. 15. numer. 2. & Abb. in cap. Ad nostram n. 8. in fin. De rebus Eccles. non alien. 2. Quod si fœnerator coluisset agros per fœnus extortos, & in restitutione eorundem, ac fructuum perceptorum prætenderet partem colonicam, id est dimidiam partem fructuum pro cultura, & sumptibus non esset audiendus, non enim haberi debet tanquam colonus partiaris, cui cum domino quædam quasi societas est. l. Si merces 28. §. Vis major. ff. Locat. Sed tractari debet tanquam malæ fidei